

*Acta primae synodi, quae post explosas pontificiorum  
superstitiones propitio Numine XIV Julij anno MDXCV  
coepta Gröningae et XVII mensis praedicti ibidem  
finita est.*

1. Invocato juxta pietatis normam nomine divino, communibus fratrum suffragiis praeses electus et designatus est dominus FRIDERICUS FEITO, urbis Groninghanae pastor, scriba D. HIERONIMUS ATTENA, verbi divini minister in Baffloe.

2. Vocati sunt et comparuerunt in hac synodo primum Gronningensis ecclesiae ministri, uti:

Dominus FRIDERICUS FEITO,  
Dominus JOACHIMUS WARNERUS,  
Dominus ARNOLDUS UTHUSIUS,  
D. EGBERTUS ERARIUS,  
D. ANTONIUS THOMAE.

Deinde ruri passim habitantes, ut:

Dominus JOANNES CLANT, in Beem pastor,  
D. RODOLPHUS ARTOPAEUS in den Dam,  
D. LEO ABELI, pastor in Loppersum,  
D. SIMON PHILAEUS, p. thoth Helm,  
D. JOANNES NICASIVS in Middelstum,  
D. NICOLAUS CLANT in Uthusen,  
D. WIBRANDUS GEORGI in Warffum,  
D. HIERONYMUS ATTENA in Baffloe,  
D. ANDREAS ALLERDI in Enerum,  
D. THOMAS STALMANNUS in Garnwert,  
D. BERNHARDUS THEODORICI in Usqwart,  
D. WESSELUS RHODE in Oldensiel,  
D. THEODORUS CLINCKHAMERUS in Thiamsuer,  
D. REGNERUS ADOLPHI in Westerwijtwart,  
D. JOANNES SPRENGERUS in Husingha,  
D. HADRIANUS in Godelinse,  
D. SIBRANDUS ADRIANI in Loesdorp,  
D. HINRICUS BOKELMANNUS in Sawert,

D. PATROCLUS BOKELMANNUS in Vischfleth,  
 D. HERMANNUS CHRISTOPHORI in Awert,  
 D. JOANNES TER MULEN in Tinallingha,  
 D. LUCAS WESTERWOLDENSIS in Eppenhuisen,  
 D. GERARDUS WILHELMI in de Soltkamp,  
 D. N. WULFGANGUS in Delffsiel,  
 D. JOANNES MEYER in Noordijek,  
 D. JOANNES CLETTINGIUS in Germerwolde,  
 D. JOANNES CHRISTOPHORI in Ulderum,  
 D. JOANNES N. in Woltersum,  
 D. HENRICUS PETRI in Haren,  
 D. DOMINICUS TIALINGIUS in Vierhuisen,  
 D. GERARDUS WEEMHOFF in Winschot.

3. Aderat et JOANNES CONRADI in Westernielandt et JOANNES ARTOPAEUS, quorum neuter in ministerio confirmatus fuit.

4. Praeter hos etiam accersiti sunt, qui antehac in papatu ecclesiis praefuerunt, de quibus Dammonae et in Loppersum diverso tempore et loco ceptum examen sed non continuatum fuit, ut:

D. GERARDUS ALBERTI in Serijp,  
 D. JOANNES LAXTEN in Siddeburen,  
 D. JOANNES CHRISTOPHORI in Jocquert,  
 D. EGBERTUS MENERINCK in Uthwierda,  
 D. HERMANNUS MULLERUS in Farmsum,  
 D. FREDERICUS DE WOLSTEN in Leermisse,  
 D. RUDOLPHUS HEMSE in Spijck,  
 D. CORNELIUS RHENEMAN in Krewerth,  
 D. JOANNES MERWIJCK DE GRAFIA in Holwierda,  
 D. GERHARDUS HIDDINGII in Stitzwerth,  
 D. LUDOLPHUS CORENTOERT, pastor in Meden.

5. Tandem huic synodo interfuerunt ex dominis ordinum urbis Groninghae et agrorum deputatis nobiliss. et amplissimi viri, dominus DODO HAMSWER, dominus PETRUS CORNELII, plena inclijti collegii potestate instructi ad diligenter praecavendum, ne quid alienum a re ecclesiastica vel etiam inordinate in ipsa synodo tractaretur, et ut de singulis possent referre ad collegium.

6. Post publicam horum nominum recitationem quaestiones moventur de quibusdam in ministerio versantibus.

MARTINUS in Hochkerck et Nijekerck, ut ineptus muneri ecclesiastico et alioquin homo nefarius, quique se nesciis dominis deputatis et caeteris

pastoribus ecclesiae insinuavit, ab officio rejicitur autoritate synodi et ordinum potestate.

WICHERUS quidam DEFOLDIANUS, furti aliorumque criminum reus, ad eandem poenam trahitur.

JOANNES ARTOPAEUS in Winsum fratrum judicio ab officio suspenditur, quoad examini satisfecerit.

JOHANNES CONRADI vocatur ad examen, in Bafflo quam proxime habendum.

Querela de HADRIANO ET SIBRANDO, parente scilicet et filio in Godlinse et Loesdorp separatim pastoribus, adfertur, ad quam penitius cognoscendam et e medio (si fieri possit) tollendam ablegantur synodi et ordinum auctoritate fratres vicini, videlicet dominus LEO ABELI, past. in Loppersum, D. RUDOLPHUS ARTOPAEUS in den Dam et D. THEODORUS KLINCKHAMERUS, p. in Tiamsweer.

7. Proposuerunt domini deputati ordinem ecclesiasticum, cui ut subscriberent sollicitabantur ministri. Sed cum nemo non hac in causa quam maxime gravaretur, decretum est communi consilio respondendum dominis deputatis vel scripto vel coram, re bene deliberata, ad proximum classicalem conventum.

8. Porro singulis mensibus bis classes ruri celebrandas omnium suffragiis est statutum.

Classium loca eligendi libertas fratribus relinquitur. Quum tamen Dammona, Loppersum, Middelstum et Baffloe commodissima majoribus visa sint et etiamnum maxime placeant, retinebuntur.

De sumptibus ad classicos conventus requisitis D. deputati videbunt, quos alioquin tenuis ministrorum fortuna dissipabit.

9. *15 Julij.* — Examen de praedictis quondam sacrificiis coeptum, qui se reformatis ecclesiis associari cupiverunt, D. praeses pertexit. Quo finito, ordine fratrum de singulis rogatae sunt sententiae. Variantibus hic primam suffragiis, tandem concluditur admittendos et confirmandos quidem esse in ministerio, hac tamen conditione ut testimonium legitimae vocationis de novo quisque habeat vel ab ista ecclesia, ubi hactenus ministrum egit, vel ab alia, promittatque et in vitae moribus pietatem et in doctrina synceritatem et fidelitatem.

Examini de se habiti testimonium singulis communicavit synodus. Cujus argumentum fuit, etc. 1)

---

1) Na deze twee regels is het geheele folioblad opengelaten. YY laat op „etc.” volgen: „Copia testimoniorum desideratur, et erat hic sphaema in libro synodali.”

16 Julij.

10. Variæ sunt allatæ querelæ de rebus variis, prout se quisque quam plurimum in suo ministerio gravari sensit. In genere:  
 de ruinosis et inhabitabilibus passim aedificiis pastoralibus,  
 de præbendis et vicariatibus, ad profanos usus translatis,  
 de gliscente indies Anabaptistarum fece,  
 de blasphemiiis sacrificulorum,  
 de custodibus nonnullis, papatui addictis,  
 de ludimagistris quibusdam prorsus ineptis,  
 de nefanda corporum commixtura et dira sacri conjugii profanatione, quæ ex interitu matrimonialis quibusdam in locis cernitur,  
 de quorundam aedituorum fraude, qui bona ecclesiastica dilapidant,  
 de codice, in quo reditus templorum annui signantur, singulis singulorum locorum ministris restituendo.

His et aliis gravaminibus, ut in tempore et quidem ex officio medelam adhibeant D. deputati, ne ecclesie structura impediatur, in synodo decretum est.

11. Movetur quaestio de præsenti quodam ludimagistro, HERMANNO DEJES in Freewolt, anne diebus dominicis lectio publica evangelii et epistolæ in templo ipsi concedenda sit, donec minister aliquis ecclesie haberi possit. Respondent fratres in universum ad ejusmodi labores non admittendum esse propter gravissima pericula, tantum ut functione scholastica contentus sit mandant.

12. Duo pastores ex Oldeamptio ostensis testimoniis confirmationem in ministerio petunt, idque cum applausu senatus urbani. Consentiunt fratres ea lege, ut se examini censuraeque ecclesiasticae submittant, id quod libenter facturos spondent.

13. Postulat dominus PATROCLUS BOCKELMANNUS, mendacissimis cujusdam pessimi nebulonis aspersus calumniis, vitae, morum ac doctrinae testimonium ad se (ut aequum est) purgandum, id quod synodus ipsi communicandum censuit.

14. Tandem omnibus his legitime peractis ad gloriam Dei et ecclesie aedificationem, decenter et placide huic synodo finis imponitur. Post vero gratias Numini supremo actas, de loco et tempore proximæ synodi suffragia colliguntur. Placet fratribus, ut locum domini deputati designent absque tamen ullius classis præjudicio. Tempus vero in ordine ecclesiastico præfinitum ratum habetur.

Actum Groningæ 16 Julij anno ultimæ patientiæ Domini 1595.

Dominus FRIDERICUS FEITO, præses etc.

D. Hieronymus ATTENA, scriba etc.